


TT.





49

DISPUTATIO PHYSICA  
*De*  
MISTIONE,

*Quam*

Divinâ favente gratiâ, nec non  
Permissu Incluti Philosophorum Collegii in  
celeberrima ACADEMIA Lipsiensi.

*III. die Nonas Junij.*

SUB PRÆSIDIO  
M. JOH. AUGUSTINI EGE-  
NOLPHI, Erffurtensis,

*Publicæ & placidæ eruditorum Censuræ subjicit*

FRIDERICUS Schmidt/Seydenb. Sil.

*Horis locoque consuetis.*

---

LITERIS QUIRINI Bauchs/

26

*Le M. M. M. M. M.  
Halb. 10. 11*

24

DISSEMINATIO  
DE  
MISSTIONE

DIVINAE VERNACULA

PERMISIT IUSTITIA  
CENSURAE

SUB PREESIO  
MIOH AUGUSTINI

FRIDERICI

*Handwritten signature or mark*



a. & w.

**M**ulta & magna inter Philosophos variis de re-  
bus sunt controversiae, eaq; eò extenduntur, ut,  
licet duo vel tres hæc in sententiâ conveniant,  
in aliâ tamẽ longissimè alter ab altero rece-  
dat. Inter res hæc controversas mixtionem etiam  
deprehendimus, quæ quã plurimus intricata sit  
difficultatis, nemo non videt, ita etiam, ut ab jusdem consi-  
deratione sapius multi deterreantur. Interim tamẽ nos omnem  
animum non abjicimus, sed placidam bodie de eâ σοφολογίαν  
instituentes, illam, ut à Philosopho consideratur, quò ad fieri pot-  
erit, proponemus. Quia verò ut Scaliger Exerc. 359. Sect. 1.  
inquit, nostra in litterarum studiis peregrinatio sine supernâ  
Luce miserabilis erratio, idcirco à teum, à quo omnia, in quo o-  
mnia, & absq; quo nihil, DEUM scilicet T. O. Max. nos converterimus,  
& Patrem omnipotentem, ut per Filium Salvatorem Spiritûs  
S. sui Numine sine quo nihil est in homine, nobis adesse, mentes  
nostras ducere, linguas nostras regere, & voces nostras formare  
velit supplices rogamus quò primitiæ istæ Academica nostræ fe-  
liciter inchoentur, felicius continuentur, felicissimè terminen-  
tur, Sit itaq; cum hoc Auxiliatore nostro

## I. THESIS.

**N**omen mixtionis à miscendo, id est, com-  
ponendo, quia corpora per mixtionem sive composi-  
tionem Elementorum constituuntur, dictum est,  
& Græcis quoq; μίξις, quemadmodum & corpora ex  
ele-

A 2

ele-

Elementis conflata, mixta sive mista grecis *μικτὰ* dicuntur; & ab  
Hebraicâ radice *מִשְׁכַּח* miscuit, unde *מִשְׁכַּח* mistio, deducta videntur.  
Vide Orig. Beem. p. 508. i

*Tb. 2.* Sumitur autem vox mistionis dupliciter; Prior  
modo fusâ significatione (latè) pro ea, quæ aliàs dicitur mistio ar-  
tificialis, quo pacto misceri dicuntur illa, quæ quidem junguntur  
invicem, sed sine alteratione & metamorphosi totius substantiæ,  
omniumq; accidentium secundum Arist. Lib. 1. de Gen. & Corrup.  
c. 10. Hoc sensu etiam misceridicuntur, quæcunq; aliis accumulân-  
tur, & quæ partium appositu constant, sive propriam formam reti-  
neant, ut triticum junctum milio; sive non retineant, ut aquæ gut-  
ta vino infusa.

*Tb. 3.* In quâ acceptione mistionis vocabulum iterum su-  
mitur sive pro appositione, seu pro confusione. Quemadmodum ipse  
Arist. loco jâ citato T. 85. distinguit: Appositio est, in qua ea, quæ in-  
ter se miscentur, in tam partes parvas secantur, ut unaquæque sen-  
sui minimè appareat, & ita conjunguntur, verbi gratia farina hor-  
dei & tritici. Confusio est, in qua ea, quæ miscentur, non modo  
in minimas partes, quæ non conspiciuntur, secantur, sed ita inter  
se confunduntur, ut separari nequeant; ut si aquâ vinum diluo, ita  
invicem illa confunduntur, ut discerni non possint. Vid. Magir. c.  
10. l. 3. de mixt.

*Tb. 4.* Posteriori modo mistio sumitur propriè pro unio-  
ne mistibilium > elementorum sub una substantiali forma ali-  
cujus misti refractio singulorum mistibilium propriis formis. Mis-  
tum enim unum fit, non solum continuatione, sed & formâ.

*Tb. 5.* Et hoc modo mistio iterum sumitur dupliciter,  
sive promissione Chymica, quam nos immediatam appellare pos-  
sumus, quando sc. ex tribus istis principiis Chymicis, scilicet nimirum  
Sulphure & Mercurio, omnia misceri tradunt; seu pro mi-  
stione Elementari, quæ à nobis mediata forsitan non incongruè  
respectu prioris dici potest, & hæc est, quam eum Physicis jam pro-  
ponimus.

*Tb. 6.* Dari autem hanc mistionem à variis variè disputa-  
tur, nec defuerunt, qui eandem penitus nobis negarunt, quo de vi-  
de Conimb. c. 10. p. 334. Nos affirmativam tenentes mistionis exis-

stet.

sentiam constantiter asseveramus, & licet rationes statim appone-  
re possimus, illas tamen, ne Theses hæ nostræ nimium excrecant,  
ipsi conflictui reservamus.

*Th. 7.* Explicato hunc in modum mixtionis nomine, ad rei  
definitionem nos accingimus, quæ à Philosopho c. 10. Libri 1. de  
gen. & Corr. in fine proponitur, quod sc. mixtio sit miscibilium alte-  
ratorum Unio.

*Th. 8.* Quam definitionem, licet eandem rejiciat Rode-  
ricus de Arriaga Disp. 4. de gen. sect. 7. nos tamen cum Philoso-  
phis aliis ambabus arripimus, atq; genus & differentiam evolvi-  
mus.

*Th. 9.* Generis loco ponitur Unio. Dicitur autem ita, quia  
necesse est ea, quæ miscentur, in unam substantialem formam uni-  
ri & concrecere. Nam miscibilia per mixtionem desinunt esse  
id, quod ante mixtionem erant, & in naturam mediam transeunt, ut  
sicuti quælibet particula aquæ est aqua, & tota est aqua, ita illud et-  
iam, quod ex mixtione resultat, & totum, & singula ejus pars habet  
idem respectu mixtionis nomen, & eandem definitionem. Notan-  
dum autem hæc, quod unio non accipiatur generaliter pro quavis  
conglutinatione aut congregatione, siquidem & compositio Unio  
est, & secundum quosdam etiam generatio Unio est, sed intelli-  
gitur per Unionem ejusmodi transmutatio, quæ miscibilia sunt u-  
num specie & elementa quatuor migrant in unam naturam, quæ  
est ab istis elementis distincta. Secundum Scharff. Phys. Spec. 3. c. 1.

*Th. 10.* Differentia sequentibus explicatur verbis; misci-  
bilium alteratorum. Unionem enim illam præcedat oportet mu-  
tua mixtilium alteratio, quæ eorum qualitates sese invicem obtun-  
dant, & ad moderationem quandam & proportionem redigant.  
Conimb. artic. 2. quæst. 2. c. 10.

*Th. 11.* Notetur autem hæc rursus miscibilia dupliciter in-  
telligi, seu materialiter seu formaliter. Materialiter miscibilia  
sunt corpora illa quæ misceri apta nata sunt, & hæc sunt elemen-  
ta; formaliter, in quantum miscibilia, hoc est corpora elemen-  
taria actui mixtionis subjecta, & agentibus sive generantibus sub-  
strata, unde etiam statim additur in definitione, eaq; completur  
voce alteratorum. Alteratio autem est à generantibus, nimirum

A ;

illud

illud agens, quod ex materia aliqua, & sic etiam ex elementis produ-  
cere nititur, illa variis modis alterat, & alterando disponit ad  
certam & determinatam aliquam formam suscipiendam. Quo  
pertinet illud effectum Physicum; Idem est agens disponens mate-  
riam, & inducens formam.

*Tb. 12.* Præmissa jam aliquali definitionis explicatione  
porro in requisita miscibilium inquirendum, ut partim definitio-  
ni lux major accendatur, partim vero ipsa mixtionis natura clari-  
us pateat. Primo autem per miscibilia intelliguntur ea, quæ per  
se subsistere possunt, qualia solæ sunt Substantiæ, exclusis acciden-  
tibus, quæ neq; invicem, neq; cum substantiis misceri dicuntur.  
Rationem sat sufficientem addunt Conimb. quia mixtio non sit  
accretio, seu alteratio: & probant exinde, quia tam quod augetur,  
quam quod alterationem subit, integra manent, cum tamē ea, quæ  
mificentur, non ita se habeant. Ob quam modò nominatam ratio-  
nem neque accidentia cum subjectis, ut candor cum corpore;  
neq; ipsa accidentia cum aliis accidentibus, ut candor cum dulce-  
dine misceri queunt; siquidem istiusmodi affectus post mutua  
conjunctionem incolumes perseverant. Ideo nec hoc oblivioni  
tradendam, quod ea, quæ mificentur, ejusmodi esse debeant, ut per  
se coherere valeant, quod accidentibus minimè convenit. Hinc  
Arist. lib. 4. Meteor. cap. ult. Anaxagoram carpit, quod omnia in  
Chao mixta fuisse, & Anaximandrum, qui omnia misceri posse ex-  
istimare: cum multa sint, quæ ut consistere per se nequeunt, cujus-  
modi sunt accidentia, ita nec misceri ulla ratione possunt.

*Tb. 13.* Secundo miscibilia debent esse contraria, ita tamen  
ut eandem habeant communem materiam, & sint invicem agentia  
& patientia. Quædam quidem agunt, & non patiuntur, nimirum  
quibus materies eadem non est. Verum horum non est mixtio.  
Quare nec medendi scientia sanitatem, nec sanitas eadem mixta  
corporibus efficiunt. Arist. c. 10. 1. de Gen. tex. 88. Quibus Aristotelis  
verbis declaratur quo pacto fiat mixtio, & quæ dicantur miscibilia.  
Atq; iste primum, quædam corpora esse activa, quædam passiva, ut  
liquidò constat: sed non omnia hæc misceri posse, cum præter id o-  
porteat ea habere communem materiam, ut paulo superius dictum  
fuit. Unde est quod cœlestia corpora agunt in sublunaria, non ta-  
men



mer ab eis patiuntur. Ea igitur tantum misceri possunt, quæ mutua  
activa & passiva sunt, ad quod requiritur materiae convenientia; sed  
ea non sufficit, verum ulterius etiã requiritur, ut sint *judicia peccati*  
etalia, quæ facile dividi & comminui possunt, etiam in minutis-  
simas partes, sic enim melius uniri possunt. Arist. cap. 10. text. 88.  
Ideoq; lapis ferro non miscetur, neq; alia, quæ prædura sunt, licet  
in acervum, aut alterius generis compositionem coire valeant.

*Tb. 14.* Tandem etiam hinc notandum in actione & passi-  
one hac necessarium esse, ne unum nimis prædominetur alteri, sed  
in ea proportione & excessu, qui peritur à forma, ad quam mixtio  
illa ordinatur, ac proinde quæ sufficiat ad utrumq; ex miscibilibus  
corrumpebatur secundum Dd. Complut. disp. 9. de mixt. Q. 3. S. 2.  
id quod & ipse vult Aristoteles, qui jam sæpius citato c. 10. text. 89.  
dicit: Quando potentiis adæquantur æqualiter, tunc transmutatur  
utrumq; in dominans ex sui ipsius natura: non generatur enim  
alterum, sed medium commune.

*Tb. 15.* Tertium miscibilium requisitum est, ut id, quod  
miscetur, sit separatum ante mixtionem: quam conditionem ad-  
dixit Arist. in lib. de Gen. c. 10. T. 83. his verbis: Dicunt quidam non  
bene, quia omnia quandoque simul esse dicunt, & mixta esse; non  
enim omne omni miscibile est, sed oportet existere separabile u-  
trumq; mixtorum. Neq; hoc immerito, si enim miscibilia non es-  
sent ante mixtionem separata, sed conjuncta, qui misceri possent,  
forsitan actus iste non mixtio, sed firmior unio dicendus esset.

*Tb. 16.* Quarto deniq; necesse est, ut certa sit proportio &  
quantitas eorum, quæ inter se miscentur. Si enim multa cum pau-  
cis, vel magna cum parvis conjungantur, mixtionem non efficiunt,  
quoniam id, quod superat, alterum hoc modo in suam naturam  
convertit & interimit. Arist. ibid. t. 89.

*Tb. 17.* Hinc ergo manifestum evadit, elementa maximè  
esse miscibilia, quia hæc invicem sunt agentia & patientia per pri-  
mas qualitates. Et quia in mixtione elementa viribus sunt ferè pa-  
ria, ideo alterantur, & ex iis nova quædam forma gignitur & co-  
pularur, quod & ipsum mixtionis nomen significat.

*Tb. 18.* Et hoc est, quod etiã Philosophus ipse affirmat, in qui-  
bus, miscibilia non interire, sed servari. de Gen. text. 82. quæ pluri-  
bus

bus comprobatur inibi verbis. Non enim mera qualitas fit alteratio absq; ulla substantiæ mutatione, sed actione & perpeſſione mutua, facta per qualitates Substantiæ totæ comminuuntur, contemperantur, & ita novus quidam oboritur actus, qui quasi communis fit omnibus Elementis & qualitatibus mixtis, & fit tanquam vinculum contrariarum naturarum, sub quo concorditer pace ligantur.

*Th. 18.* Et hæc est natura ipsius mixtionis, inq;ve eâ Unionis & alterationis. Ulterius jam nobis disquirendum de nobili illâ quaestione, An & quatenus Elementa sint in mixtis, & quomodo in iisdem maneat. Ubi statim præoccupamus, nos non de mixtione, sed de mixtis quaerere, aliud enim est quando dico, Elementa esse in mixtione, tanquam actu & motu, aliud eadem esse in mixtis, tanquam rebus perfectis & completis.

*Th. 19.* Dicimus autem Elementa in mixtis esse non quidem formaliter, sive secundum totam substantiam suam, sed tantum *divinè* sive virtualiter. Quam sententiam nostram confirmat Aristoteles Lib. 1. de Gen. cap. 10. t. 84. Ubi dicit, quæ in mixtionem recipiuntur, quodammodo esse, & quodammodo non esse; nam actu inquit non sunt, virtute autem sive potestate insunt.

*Th. 20.* Statim autem notandum, Philosophum h. l. loqui de Elementis ratione Substantiæ suæ, & quantum ad Formas illorum substantiales, non ad eorum qualitates attinet. De qualitatibus enim Lib. 2. de partibus animalium c. 1. inquit, quod ex ipsis conficiatur mixtorum compositio, Verba habent ita; Prima compositio statui potest ea, quæ ex primordiis conficitur iis, quæ nonnulli elementa appellant, terram dico, aquam, ærem, ignem; sed melius fortasse dici potest, ex virtutibus confici Elementorum. Humiditas enim & siccitas, & caliditas & frigiditas materia sunt corporum compositorum.

*Th. 21.* Ex quibus apparet, sententiam Aristotelis hanc esse, Elementa scilicet quoad formas suas substantiales esse & manere in mixtis virtualiter, nempe secundum qualitates suas proprias, Calorem scilicet, frigiditatem, humiditatem & siccitatem. Quæ qualitates ex se spectatæ in mixtis insunt formaliter, licet non integræ maneat, sed refringantur, vel immixuantur.

*Th. 22.*

*Tb. 22.* Unde constat, quod valde errent ii, qui statuunt miscibilium formas in unione planè aboleri. Hoc autem concedendum non est, certò enim constat, mistum quodlibet in ea, è quibus primò est constitutum, resolvi posse, & proinde formas non penitus aboleri, aliàs enim in resolutione & putredine nova fieret generatio, quæ tamen absurda.

*Tb. 23.* Deinde etiam Unionis natura repugnat, quæ in ipso missionis actu deprehenditur; materiæ enim plurium Elementorum copulantur inter se & componuntur, jam si formæ Elementorum abolerentur, qualis fieret copulatio & Unio, quam tamen in missione reverà fieri necesse est, quando formæ Elementorum, misti formæ subjiciuntur, & hæc ex illis producitur.

*Tb. 24.* Quidam etiam, ut Anaxagoras & Empedocles, quos Dd. Conimb. antiquos naturæ interpretes vocant, præterea etiam Stoici, & secundum quosdam, Plato, statuerunt, quod Elementa, quoad formas Substantiales in mistis insint, quorum vestigiis pleriq; è posterioribus Philosophis insistere, etsi & hi non parum inter se dissenserint, de quibus vide Conimb. Lib. I. c. 10. quæst. 3.

*Tb. 25.* Sententiam autem hanc falsam esse probo, quia nulla vera hoc modo fit mistio, sed tantum compositio & conservatio quædam diversorum corporum, ex quibus continuum efficitur corpus. Quatenus enim Elementa actu sunt, eatenus nihil aliud esse possunt, quàm id quod sunt. Jam vero in omni mistione nova acquiritur forma, ubi autem nova forma, ibi priores abolentur.

*Tb. 26.* Sed objiciat aliquis formam misti non impedire, quo minus & Elementorum formæ sint, maneantve in mixto. Quam objectionem solvit Excellentissimus Zeisoldus, in notis super Physicam Jachæi lib. 6. c. 14. p. m. 517. Dicimus de se repugnare, tot formas substantiales, specie diversas, in uno composito Physicò dari. Non enim esset id ens unum per se Physicum, cum constaret ex aggregatione multarum formarum substantiarum. Ubi enim plures formæ substantiales specie distinctæ atq; diversæ, ibi plures essentiæ specificæ, adeoq; non essentia vel Forma una. Subjicit: ut propterea nihil de substantia Elementorum in mistis relinquatur, præter solam eorum materiam. Unde

B

*Th. 27.* Unde sic concludimus; Si elementa statuuntur actu, & in quantum sunt elementa certæ & definitæ naturæ per formas suas substantiales esse in mixtis; sequitur mixta non esse unius naturæ, sed ex diversis naturis, & quidem actu completis constantia. Quod consequens cum absurdum sit, etiam antecedens tale esse consequitur.

*Th. 28.* Verum objiciat nobis aliquis; ubi est materia elementorum, ibi etiam sunt eorundem formæ. Atq; in mixtis est materia elementorum. Major ex eo probatur, quia materia nunquam est sine sua forma. Ergo nec materia Elementorum erit sine suis formis. Ad quod argumentum respondemus majorem sic limitando; ubi est materia elementorum, ut elementa sunt, ibi quoq; sunt formæ elementorum. Vel sic, ubi sunt elementa suis formis prædita, ibi etiam unà sunt elementorum formæ. Et sic negatur minor, quia elementa non quatenus elementa, sunt in misto, sed quatenus sunt materia ad formam misti concurrans, & cum hæc ipsum mistum constituens.

*Th. 29.* Iterum insurgat quispiam; Quæcunq; miscentur, ea non abolentur. Elementa in mixtione miscentur. Ergo in mixtione non abolentur, & ita per consequens in misto secundum substantiam manent. Major probatur ex Th. 25. & ipsa ratio hoc evincit, quomodo enim misceri possunt, quæ non manent, & quomodo uniri possunt, quæ non sunt? Minor verò extra controversiam est. Verùm respondemus, vocabulum aboleri esse æquivocum, ideoque disting. inter aboleri simpliciter, & secundum quid, & sic major limitanda; Quæc. miscentur ea non abolentur sc. simpliciter, & sic concedimus totum argumentum. Elementa enim in mixtione tantum secundum quid, nimirum secundum formas aboleri modo diximus, & sic non simpliciter abolentur, quia materia eorundem remanet.

*Th. 30.* Multo minus eorum sententiam approbamus, qui docent, Elementa cum ratione suæ substantiæ, tum ratione qualitatum rursus interire & aboleri, & tantum *δυναμεις* sive potestate remanere. Sin elementa penitus intereunt, tunc nihil aliud possunt constituere, cum tamen videamus, ex elementis tanquam principiis mista produci, imò illa etiam inter se commisceri. Jam si commiscantur, non intereunt.

Nec

*Th. 31.* Neq; etiam ultimo elementa secundum solas qualitates in mixto manent. Si enim tantum secundum qualitates & non secundum substantiam manerent in mixto, quomodo diceretur, quod mixta corpora constituentur aut misceantur ex elementis. Absurdum enim foret dicere mixtum corpus, in quo nullum est elementum.

*Th. 32.* Firma ergo adhuc nostra stat sententia, quam supra *Th. 21.* proposuimus, quoad nimirum elementa tam quoad formas suas substantiales virtualiter, quam quoad proprias suas qualitates formaliter in mixtis insunt. Non autem ita insunt, ut erant antequam mixtum ingrederetur, hoc enim si statueremus, opinioni supra *Th. 26.* refutatae favere videremur, sed necesse est, ut elementa tum quoad formas tum quoad qualitates suas refringantur, castigentur, ad mediocritatem rei mixtae convenientem redigantur, & temperentur. Sunt ergo elementa in mixto secundum gradus remissiores & castigatos; non sunt ibi secundum gradus priores & intensos: cum per mixtionem isti gradus quasi sint corrupti & debilitati. Insunt actu secundum gradus istos remissos; insunt *divinae* quoad priores gradus, quos actu amplius non obtinent, & sic ad communem temperiem redacta constituunt aliam speciem & formam corporis mixti.

*Th. 33.* Ex his ergo constat, minus necessarium esse, ut fiat aequalis primarum qualitatum jam refractarum & castigatarum secundum gradus aequales concursus, quem alias temperamentum ad pondus vocant, sed sufficit, ut illae pro natura mixti temperentur, & de illis mixto aliquid tribuatur, licet secundum gradus inaequales saltem, tamen quantum par est; quod alias temperamentum ad justitiam ab Autoribus vocatur.

*Th. 34.* Hoc enim nisi fieret, & Elementorum qualitates gradibus aequalibus ad mixti constitutionem concurrerent, multa certe mixta unius ejusdemque essent naturae, nullaque alia forsan inter omnia corpora naturalia statui posset Differentiae, quam quod quaedam plus habeant de Elementis & eorundem qualitatibus aequali gradu sibi communicatis, quaedam vero minus. Sicuti exempli gratia vinum cum aqua aequali gradu mixtum in cantharo, & vinum ex eodem, quo prius, dolo desumptum cum aqua ex eodem,

quod

*F I N I S*

quò prior, fonte hausta æquali gradu mistum in amphora differunt. Cum tamen contrarium solertes naturæ scrutatores cum ipsâ rerum natura abunde satis demonstrent.

*Th. 34.* Quapropter rectè Aristoteles lib. I. de Cœlo c. 2. tit. 7. inquit mistum moveri secundum elementum prævalens si-ve prædominans. Quibus verbis procul dubio eò respicit Philosophus, ut ostendat, unicuiq; corpori qualitates suas proprias, vires & efficacias, imò naturam propriam esse, quibus ab aliis distingvatur omnibus, & hæc dependere ab elemento in uno quoq; corpore prædominante, ut e. gratiâ ea, in quibus ignis prævalet, calidioris sint naturæ, quàm alia in quibus hic non prævalet, & ea, in quibus terra prævalet, siccioris sint naturæ, quàm alia in quibus ignis prævalet & sic in aliis.

*Th. 34.* Et hisce veram de mitione sententiam nos proposuisse putamus, quam unanimi consensu præstantissimi quicq; Philosophi approbant, imprimis ipse Aristoteles, & qui in eum commentati sunt Dd. Conimb. sæpius citati, nec non Averroes Comm. 67. lib. 3. De Cœlo, Zabarella lib. de Mist. c. 7. aliiq; plurimi. Si qui sunt qui contra sentiunt, ipsi conflictui ut interesse velint, peramanter eosdem rogamus, nulli enim vel nostra, si quæ sunt, communicando, vel communicata amicè recipiendo deerimus. Interim veniam petimus, si in re tam subtili, tamq; controversa hallucinatus forsitan fuerit juvenilis noster animus, & ubi ad majora nobis fuerit concessus aditus, majora etiam præstituros nos promittimus.

#### Confectaria.

*Elementa in misto non intereunt.*

*Mistio non est pura alteratio.*

*Mistio differt à generatione mistorum.*

*Non omnia omnibus miscibilia.*

*Positò perfectè mixto, ponuntur omnia 4. elementa.*

---

**F** It fabricando faber, cultissime SCHMIDIE, doctas  
Artes versando doctior usq; redit.


Perge ita paulatim & pedetentim, perge GRADATIM,

Et Faber in Sophico culmine doctus eris.

Dn. Candidato gratulabatur

Hieronymus Kromayer, D. P. P.

F I N I S.





15